

ARNULFI LEXOVIENSIS EPISCOPI

TRACTATUS

DE SCHISMATE ORTO POST HONORII II PAPÆ DECESSUM.

PRÆFATIO.

Venerabili Dei gratia Carnotensi episcopo GAUFrido, Romanæ Ecclesiæ legato, ARNULPHUS archidiaconus Sagiensis, clericus ejus humilis et devotus salutem.

Ad expedienda legationis vestræ negotia non negarem fidele ministerium, si adessem, pro viribus exhibere. Invitaret enim me cum laborantis Ecclesiæ causa communis, tum beneficiis vestris obstricta devotio, tum Romani pontificis gratia, qua me fateor arctius obligatum. Sed quia me in Italiam desiderata diu Romanarum legum studia deduxerunt, loci quidem distantia corporale subduxit obsequium, sed spiritualem non suppressit affectum. Novit enim intimus secretæ conscientiæ testis, quam fidelis Ecclesiæ patienti compatiar, quam affectuose in adversis præsuli Romano condoleam, quamque obnoxie vestrum me tota mente judico debitorem. Unde nimirum sublata impendendi corporaliter officii facultate, styllum saltem continere non potui, sed in Girardum Engolismensem, quod solum impendere poterat affectus absentis, invecus, originem nativitatis ejus, conversationis qualitatem, prælationis causam, quid agat, vel egerit ab initio tempestatis hujus, servata quantum potui brevitate, perstrinxi. Ad confutationem quoque ejus style circa Petrum-Leonis liberius evagato, subjunxi de persona domini papæ, de ordine electionis ejus, de favore principum, de populorum consensu, quidve super hoc irrefragabilis omnium religiosorum probat auctoritas.

Opus autem ipsum præsumo majestati vestræ, fortassis impudenter, offerre, cum nullatenus orationis jejunæ macies mereatur in sapientiæ vestræ venire conspectum. Scio tamen quia sæpius apud vos benignitas indulgentiam parit, quam severitas exactissima, pœnam. Qui enim leviori culpæ veniam negat, causam quandoque gravioris importat. Si quid tamen in iudicium libeat devocare, non de qualitate operis, sed de opificis cognoscatis affectu. Hujus examinationis periculo me securus expono, nec cognitionem formidans, nec latam ex cognitione sententiam. Quia licet rhetoricum colorem formet scientia non affectus, si non hanc peritiæ laudem, saltem bonæ voluntatis gratiam consequemur. Sed et hoc ad vos potissimum destinari ratio postulabat, cum in eam causam cuncta specialium allegentur, quæ vobis agenda commissa est. Quippe cum ad resistendum Petro-

A Leonis in Italia præsul Romanus indefessus assistat; ad resistendum Girardo vos reliquit in Gallia, ut sit capiti caput oppositum, et dextera dextera conferatur. Sicut enim Petrus schismatis hujus princeps et auctor est, sic Girardus ejus inter omnia principalius est instrumentum. In quo quid de fide et prudentia vestra sentiendum sit, manifeste probatum est, cum nullum vobis prætulerit is, qui nec probaret ignotum, neque notum supra merita propriæ virtutis efferret. Arbitratus est virum quem charitas animaret, quem suscitaret obedientia, quem scientia cogeret, cui pararet fortitudo victoriam. Probavit in vobis in fide constantiam, humilitatem in obsequendo, in exsequendo prudentiam, in difficultate perseverantiâ. Quis vos hac ejus existimatione neget esse felicem? Quis beatum tanta ejus dignitate non dicat? Sed profecto dignus mittente nuntius, dignum suscipiente mandatum, spes utriusque pulcherrima, quæ tam celebrem victoriam certo spectat eventum. Vincet enim in vobis ipse, sed et vos vincetis in ipso; dum ipse vobis auctoritatem, vos auctoritati præstatis obsequium. Vincetis, inquam, et captivatum hostem sedata Aquitania reducetis; ut per vos, ei qui vos misit oblatum, ob novum crimen novo pœnæ genere puniatur. Indurati enim cordis impenitentia, veniam non meretur. Hoc autem præmium a vobis bonæ saltem voluntatis exposco, ut mihi tunc inter eos qui modo quasi sub ducatu vestro militant, sequi currum liceat triumphantis, et laudes vestras, imo vincetis in vobis Ecclesiæ, præconia decantare. Valet.

CAPUT PRIMUM.

Anxie te jamdulum, Girarde, sustinui, dum ad nos quotidie flagitiorum tuorum fetor ascendit, et aures nostras gravior sonus nequitiae sævientis exasperat. Silui tamen hactenus dum penitentiam tuam credulus expectator attendo, aut divinæ manus non credo differendam diutius ultionem. Sed nobis circa te divinæ longanimitatis et patientiæ proponenda exempla, tuque semper eo vehementer, in Ecclesiam Dei singulis diebus indefessus persecutor insurgis. Quousque igitur abutere patientia Dei? Quousque mentem tuam inestimabilis ista cæcabit ambitio; et a veritate pecuniæ sitis hæc inextincta prævertet; nunquid miseram senectutem tuam, et instantem decrepiti corporis naturali necessitate defectum, et hiantis sepulcri claustra non vides? Non sentis superexcrevens circa te

divinæ longanimitatis augmentum, æternæ tibi damnationis supplicia cumulare, ut nulla jam excusatio divinam minuere valeat ultionem? Totus execrandi corporis tui labor et otium, tota reprobatae mentis astutia, totum in hoc detestabilis vitæ tempus impensum est, ut militare pro Ecclesia videreris, et contra Ecclesiam dimicares. Nunc autem manifestavit Deus consilia cordis tui, et tenebrarum tuarum abscondita revelavit; ne dubia existimatione de te diutius hominum judicia fallerentur. Patet te proditorem Ecclesiæ fuisse, cuius te simulaveras esse patronum. Patet te venatorem tantum fuisse pecuniæ, qui venator constitutus fueras animarum. Sed quoniam animalis es homo, carnosus perinde et carnalis, quæ Dei erant percipere non potuisti, et invisibilia ipsius conspiciere contempsisti. Ne vero adversum te hunc animi temeritate potius quam ratione videar suscepisse sermonem, placet operum tuorum mihi seriem explicare, quibus possis hominibus contemptibilis, angelis execrabilis, Deo condemnabilis inveniri.

Qualis igitur a primo pontificatus tui tempore fueris: quid in principio orientis in Ecclesia tempestatis egeris, quibus eam postea operibus infestare non cessas, ordine transigetur. Præterendus est igitur ortus degener, paternæque domus familiaris inopia, quæ te totius natalis Normanniæ finibus abegerunt; ut ad ignotæ gentis limina peregrinus, et mendicus astares. Taceo ignobiles pueritiæ quæstus, ignominiosam adolescentiæ famam, juvenutis avara commercia, ne aures eorum ad quos hæc scripta ventura sunt, tuæ sordibus incontinentiæ simul et avaritiæ polluantur. Venio ad virilis ætatis tempora, sub quibus te in episcopum non vita probabilis, non præcedens deliberatio, sed casus adduxit, et cæcarum ex præcedente discordia mentium motus impellens. Dum enim adversum se eligentium multitudo divisa consurgeret, diversaque personas alternis postularet assensus, in te voces omnium fortuna convertit: non quia in te satis commode provisum Ecclesiæ crederetur, sed ut exitum qualemcumque tumultus offenderet. Maluit te scienter indignum pars utraque excipere, quam prævaluisse pars altera videri. Redit in mentem mihi miserabile illud nefandissimumque spectaculum, dum te præcurrentem multitudo reliqua sequeretur: et tu clericum quendam celeritate præires ad cathedram, ne revocata ratione stolidam mutaretur impulsio, cum alii quidem trahi soleant, et plerumque compellantur inviti. Ea die de Engolismensi Ecclesia veritas et misericordia recessit, dolus impietasque successit, rerum status in deteriora mutatus est, nitorem suum singula perdiderunt. Imminutus est enim decor et cultus Ecclesiæ, perit ecclesiastici ordinis venerabilis illa religio; principum reverenda severitas, populi que laudabilis honestas interit. Ecclesiam quidem episcopalem de mortuis ædificasti lapidibus, non ut domum Domini deco-

A raris, sed ut inde conquirendi pecuniam duceretur occasio, et adversus male suspicantem populum mendax excusatio non deesset, dum quæsitæ reconditur. Dicebatur ad opus Ecclesiæ postulari, quidquid ad tuam cupiens avaritiam exigebas, et dum unum de pluribus, de maximis minimum impendisses, volebas ut erogasse pariter omnia credereris.

Ubi igitur tali in episcopatum sorte proventus es, insolentia, quam ante paupertas represserat, efferris cœpisti; petulantia, quam privatus exercere non poteras, bonos quos libuit insectari, rapinis et exactionibus exinanire provinciam: judicia sola munerum comparatione formare, commutare rerum omnium status, nobilium labefactare fortunas; nepotibus tuis, quos natalis soli finibus eadem quæ te causa depulerat, rerum tradere summam, et dignitatibus Ecclesiæ sublimare, quasi Platonem scientia, Catonem moribus, Scipionem genere superarent. Quos illiteratos quidem et ad res illicitas impudentius effluentes, obscuro loco naturæ produxit. De quibus, ne nova extra ordinem sumatur oratio, dixisse sufficiat, avunculo dignos esse nepotes, quos tibi cum natura consanguinitatis, tum educatio, tum quod a te sumebatur exemplum, vitæ similitudine conformavit; ut a natura principium, ab educatione promotio, ab exemplo ambitionis, avaritiæ, libidinisque duceretur auctoritas. Reliquis autem Ecclesiæ dignitatibus et beneficiis, quæ in unum coacervare non poteras, eisdemque conferre, qui pecuniosior, is dignior habebatur. Non attendebatur honestas, sed manus onustas potius exspectabas. Basilicarum dedicationes, benedictiones altarium, sacerdotum constitutiones, eodem quo cætera more tractasti, ut plane nihil faciendum putares, quod non alicujus emolumentum auspicio præveniret. Nullam virtutibus gratiam rependisti, nullum quoque supplicium vitii irrogasti, neminem ad vitæ innocentiam informasti.

Si quis de incestu quolibet sonus emerit; si quis adversus immunditiam exarsit castitatis amore, in silentium te cobibente redactus est. Engolismensem abbatissam quidam tuus archidiaconus gravidam pravo fecit accessu. Porro facinus ingravescentis uteri tumor excedens, et naturalis effectus aperuit. Quod dum propter insolentiam criminis, divinitusque contemptum civibus incredibile videtur, parturientis abbatissæ gemitus, et novi partus crepundia fidem fecerunt. Universa igitur civitas admiratione perculsa est, qua cogitatum impatientia, qua temeritate conceptum, qua denique impudentia posset esse completum, quod homo animarum custos, episcopalis oculus, Ecclesiæ columna, sponsam Domini, Virginum ejus matrem atque custodem, non compellasset verbo tantum, sed opere polluisset, et cubile patris animo fornicantis intrasset, eamque Deo, quæ homini quoque tam contumeliosa quam opprobriosa est, irrogasset injuriam. Suscitavit ad vindictam comes, cui eandem germanus

sanguis confunxerat abbatissam, et cum in caput adulteri ferro prius animadvertere decrevisset, ad te, ut canonice dictaretur sententia, accessit. Rem igitur patfacturus, ter vocem in media narratione continuit vir illustris, qui mentem suam contemplatione sceleris, linguam relatione fieri sordidam iudicabat. Explicuit tandem remota quadam circumlocutione quod cœperat, ut qui serpentem, prunasve reconditas diutius latere non sustinet, manu tamen nuda recusat utrumque contingere, ne vel uratur altero, vel altero polluat. Quis digna satis laude efferre valeat quanta principis fuerit in prima sceleris animadversione severitas; quanta in ultionis executione discretio; qualis in referendo modestia successit? Quis igitur hoc saltem exemplo magnum in præsule rigorem justitiæ non expectet? Stat in memoria Pontificis digna relatione responsio. Replicabat comes rem non absque divino contemptu, naturæ contrariam, sæculoque mirabilem contigisse; quam divinæ etiam religionis ignara gentilitas supremo puniendam supplicio decrevisset. Tu vero præter ætatis tuæ debitum, præter ordinis et episcopalis officii dignitatem, singula verba lascivior prosequente cachinno, te sane simplicitatem principis non satis admirari posse dixisti, quod naturæ contrarium diceret, sæculoque mirabile, quod de viro femina concepisset; sed in opposito stare miraculum, si de femina virum contingeret imprægnari. O stupenda mentis obstinatio! o detestabilis impudentia linguæ! o digna depositione responsio! Expectabatur ut adversum facinus exardesceret episcopalis indignatio, sed ei quasi gratulanter lascivia senilis arrisit, et quod gravitate censoria punire sententiis debuisset, nova Proteus auctoritate firmavit. Non potes excusare quin populo dederis certam similia faciendi licentiam, cum singulis ex ore tuo pendentibus, novum facinus et ignotum, nec verbo nec opere condemnasti, sed quasi licitum arridentis facie præsignasti.

Quis igitur animi compos ex hoc reliquis tuæ mentis et vitæ partes manifesto non teneat? Nunquid enim si quis in majoribus intemperans et petulantissimus invenitur, a minori crimine temperabit? Quid ita? Quoniam qui ab incestu sacrilegioque non abstinet, is ubi luxuriæ flamma, vel avaritiæ satis incensa est, fornicatione simplici, vel rapina, nec corpus inquinare, nec manus implere cunctatur. Quid ad hoc? Quia qui alieni criminis non offenditur spurcitiâ, sed exultat, id in propria voluntate non damnabit expertus. Quid igitur? Nunquid si in sponsam Domini zelare, si ipsius divinitatis injuriam vindicare sprevisisti, circa tuendas hominum nuptias negligenter egisse convinceris, et ipsorum injurias non curasse? Exstat ipsius testimonium veritatis in simili. Non differetur quin fiat in arido, quod in ligno viridi fieri festinat.

CAPUT II.

Ad hæc autem, ut his etiam operibus exercendis

A diffusa materies, libera facultas, inconcussa fiducia non deesset, quæsitâ et impetrata est Ecclesiæ Romanæ legatio. Angebat te hinc læsæ conscientiæ reatus exuberans; hinc comprovincialium episcoporum nota severitas, hinc Burdegalensis archiepiscopi suspecta prælatio, quem loco confinem tua non semper opera sefellissent. Ambitio quoque tua quasi quibusdam sibi coarctata videbatur angustiis, dum fauces tuas unius episcopatus spolia non implerent. Ac si ergo omnia in episcopatu tuo compositio plena firmasset, nihilque novi operis casus afferret, effecisti, ut quinque archiepiscopatibus singulari potestate præesses, et in ipsis vices Romani pontificis exerceres. In quo quod Romanæ Ecclesiæ subreptum est, non credo mirabile, si in tanta negotiorum multitudine, in tanto pondere rerum animus humanus aliquando fatiscat, cum non sit spirituum semper certa discretio, per quam fallacium votorum compellatur indignitas, et rectis debitus commodetur assensus. Nec inconsiderate tamen, quantum humana potuit ratione perpendi, commissa tibi est quæsitâ legatio. Æstimabatur quippe quod in episcopum non sortis eventu, sed ratione promotus fuisses. Nec verisimile videbatur, quod in electione tua clerum, principem, populum, in examinatione tua coepiscopos, archiepiscopum ejusdem cæcitas implicuisset erroris. De operibus quoque tuis, nihil adhuc quisquam Romanus audiverat: quæ sinitimis et remotis, his quidem astuta dissimulatio, illis vero locorum distantia nullatenus esse nota sinebat. Ad summam, ne veritati derogetur in aliquo, inerat tibi circa gerendas res nota discretio, quam plurima sane litterarum scientia confirmaret, et utriusque facundia sermonis ornamet. Quæ quidem, quoties si non zelo charitatis divina gratia largitur ingrato, in testimonium justæ damnationis adjuncta creduntur. Dum igitur Romanus pontifex sollicitudinis suæ pondus attenderet, te in oneris sui participationem gratulanter excepit, quem ministrum fidelem fore credidit, et prudentem.

Ab inde igitur inconcussæ prærogativa potestatis armatus, libera in Ecclesiam Dei facultate grassatus es, singulorum vel depopulando quidem, vel augendo substantias, infinis summa, summis infima commutando, ut plane quasi fortunarum auctor existeres, quem de status sui qualitate vel laudare possent omnia, vel causari. Ab inde tuâ diffusioribus spatiis effusa cupiditas, copiosam rapacitati suæ materiam non defuisse gavisâ est. Quid ergo manifestas exactiones? Quid familiaria ob periculum justitiæ suscepta dispendia dicam? Quid generales synodos, quid fatigatas venerabiles ex remota regione personas edisseram, ut concilio præsidens generali amplitudinem tuæ potestatis gloriabundus inspiceres, et ambitioni satisfacere contemplatio subjectorum? in quo opere quam perversa fuerint omnia promptum est intueri. Ad hoc enim concilia celebrari sanctorum Patrum sanxit auctoritas, ut inde virtutum doctrina, malorumque correctio pro-

veniret, et velut exercitus sui facultate conspecta, ipsam se plenius Ecclesia mater cognosceret, ut adversum vitia severius insurgendo, instantium bellorum triumphos posset confidentius auspicari. Te vero ad hoc ea convocasse quis dubitat, ut cupido animo tuo, et libidini dominandi morem gereres; et cum satietatem discrete singularum causarum luera non præstant, ipsam plurium multitudo congregata conflaret? Proh dolor, et miserabile cadentis Ecclesiæ detrimentum! Videre mihi videor, te quasi taurum pinguem in sublimi synodalem cathedram insedis, dispositosque inferius Catholicos ex ordine Patres quidquid in causis conscia veritatis prætendat oratio, pari desperatione languentes, sub incerto ruentis sententiæ fluctuare. Malos vero quanto impudentius quidem, tanto animosius insistentes efferi, quos polliciti vel collati muneris confidentia suscitavit et inducit. Quod non sine quodam indignationis motu mihi mente reformo; dum intemperantiæ tuæ recorder impensum, quod ad decorem Ecclesiæ noscitur institutum. Pervulgatus est conciliorum honos, et dignitas abrogata, quibus te præsedisse constat, et nova gentibus Romano more decreta formasse. Super quo graviter indignatus, festivo simul et honeste senex Venetensis illudit. Is cum ad quoddam concilium tuum inter coepiscopos vocatus adesset, pastorem virgam rudem et incompositam prætulit, indumento veteri, quod multa jam scissura rupisset, amictus. Interrogatur igitur cur in tam vili et irrisorio habitu processisset, libertate conscientię munitus: « Tale inquit, concilium talis decet ornatus. »

Qualis ab initio pontificatus tui exstiteris, minus pleno, sed veraci sermone digestum est; nunc vero quid egeris dum adversus Ecclesiam procella tempestatis insurgeret, consequenter adnectendum est.

CAPUT III

Cum sublatus e medio bonæ memoriæ papa Honorius, terræ corpus, cælo spiritum, sua singulis debita resignasset, eique successione dignum canonicam subrogasset electio, Ecclesiam Dei Petrus ille Petri-Leonis invasit. Placet hoc loco mihi utriusque personæ describere qualitatem, ut de duobus similem similis elegisse proberis, et cupidum cupidus adorasse. Parcendum tamen est obscenitati verborum, dum Petri vita narratur, et rerum veritas sermonum pallianda decore, ut honos habitus honestati legentium videatur. Libet igitur præterire antiquam nativitatis ejus originem, et ignobilem similem prosapiam, nec judaicum nomen arbitror opponendum, de quibus ipse non solum materiam carnis, sed etiam quasdam primitias ingeniti contraxit erroris. Ipse enim sufficiens est et copiosa materia, neque quidquam domui ejus ipso turpius vel esse vel fuisse conjecto. Cujus avus cum inestimabilem pecuniam multiplici corrogasset usura, susceptam Circumcisionem baptismatis unda damnavit. Pudebat cum impotentis suæ potius quam erroris, ne genus ejus infidelitatis opprobrio confu-

sum, perpetua damnaret obscuritas. Susceptis itaque fidei sacramentis, ubi novus civis insitus est, factus dignitate Romanus. Cumque ipsi numerosam progeniem series successionis afferret, dum « genus et formam regina pecunia donat, » alternis matrimoniis omnes sibi nobiles civitatis ascivit, machinante jam humani generis hoste ut quasi quodam veteri fermento, tota Romanæ sinceritatis conspersio corrumpeteretur. Ex hac itaque diversorum generum niatura, Girarde, Petrus iste tuus exortus est, qui et judaicam facie repræsenteret imaginem, et perfidiam voto referat et affectu.

Porro ipsum a cunabulis, ab ipsius nutricis uberribus, apostolatui præsaga parentum destinavit ambitio; atque post prima litterarum rudimenta docendum delegavit in Galliam, ut illius regni benevolentiam ipsi morum, linguæque conformatio vindicaret. Totius igitur annis pueritiæ suæ, ut honestius inhonesta dicantur, ad omne se quod alteri collibisset exposuit, metuque Romani nominis importunus exactor, alienis adolescere non refugit expensis. Et tamen hæc aliquantulum modestus exacta sunt, dum ipsum disciplina scholaris inhibet, et quotidianæ præpedit instantia lectionis, et quædam crimina naturalis impotentia removet ab ætate. At vero postquam adolescentia et peccandi facultatem, et licentiam fecit liberius evagandi, si qua superbia, si qua petulantia est, tum vere ipse superbus et petulans omni intemperantiæ sese satis impudenter addixit. Profecto cum in his operibus nec Deum dignatur revereri, nec hominem, tantam sibi suscitavit infamiam, ut ejus ortu, ambitione, vitæque præcognitis, ipsum esse Antichristum universitas gentium passim crederet, et publice testaretur. Augebat fidem, quod ex Jmæis ortus; quod totius mundi dominium Romanæ sedis auspicabatur obtentu; quod vitii deditus, infamiam nulla virtute redimeret, et quod infinitam patris et avi pecuniam deinceps possessurus esset. Ipse autem adeo hujus nominis gloriabatur opprobrio, ut etiam ruina orbis non erubesceret appellari. Testis est Vizeliacensis Ecclesia, apud quam dum veteres ad innovandum ipso audiente diruerent officinas, ad contemplandas parietum ruinas sese duci propensius exiibat. Percunctatusque cur id videre tam sedulus exoraret; quoniam magnarum me, inquit, rerum ruina delectat, eo quod orbis ruina futurus esse prædicat. Post hæc habitum quoque monachus excepit, ut vitia mentis ovino velaret amictu, opprobria vitæ præteritæ Cluniacense nomen obnuberet, et virtutis existimationem hororum societas quæsitæ referret. In quo etiam ad hæc quæ in futuro sibi mens præsaga spondebat, Cluniacensis Ecclesiæ venabatur auxilium, eo quod inter Ecclesias Gallicanas nulla sit nomine religionis illustrior, nulla consilii discretionem prudentior, nulla promptior ad obsequia charitatis, nullius in gerendis rebus auxilium vel promptius, vel efficacius esse potest. Reversus denique Romam, illi venerabilium seniorum sacrosancto conventui, annitente patre fratribusque,

conjunctus est; et cardinalis factus, honoratus nomine, tituloque ditatus est. Nullus quippe fortassis ad aures summi pontificis infamiae Petri fumus ascenderat, eoque tanti viri sublimitatem singuli reverentes, sanctis auribus perturbare turpia reformidavit. Sub hac igitur ignorantia, dum in ipso monachalis habitus, dum sacerdotii sacramentum, dum parentum vis attenditur, exceptus est sub Patrum silentio, non assensu; quibusdam patriae potestatis timore vel amore silentibus; quibusdam vero sperantibus meliora de reliquo. Quoniam habita inter bonos conversatio quosdam quidem corrigit et emendat, alii poenam ex transgressione timentes, necessitatis abstinentiam convertunt in sincerum voluntatis affectum.

Deinde ad diversas partes functus legationis officio, cupiditati suae potius quam iustitiae satisfacere studuit, adeo ut illi ea tantum bonos exitus habuisse negotia viderentur, quae merces adjecta, et marsupii plenitudo subsecuta probaret. Ubi ergo nullis intervenientibus causis, nulla rapinae praestabatur occasio, tunc exactio blanditiis, vel comminatione plena non deerat. Bina singulis diebus sumptu plurimo convivia parabantur, tantisque ciborum luxus et superfluitas erat, ut ad exquisitas ferculorum varietates, sollicitari plerumque singulos oporteret, et ignota compositionis nova vasa formare. Docebatur etenim figulus amphoras figmento plasmare mirabili, quibus ad similitudinem solii per transversum medium discrimen inesset, statusque superior repositis escis, fumum per modici oris respiraret angustias, inferior vero pars cancellatis arcibus undique perforata prunas clauderet; quibus thuris copiam tandiu sollicitus minister infunderet, donec coctis cibus odorem ipsum transferret cocus artifex in saporem. Quae profecto gulositas naturam prorsus humanitatis excessit. Humanorum quippe sensuum perceptiones naturalis ratio certa lege discrevit, singulis singulas rerum qualitates assignans; nihilque confuse alicui commune cum alio dereliquit. Hic vero dum thuris odor transfertur in epulae, quod odoratus est, gustui vindicatur, fitque in rerum qualitatibus ignota confusio, et in sensuum perceptionibus communicatio non naturae. Quod divino etiam non potuit carere contemptu, dum in hoc ardenti gulae peregrinus sapor exquiritur, quod sacris adoletur altaribus, quod ad signum Deitatis in Christo praesaga trium Magorum devotio praesentavit; quod solum utriusque legis tempore de terrenis rebus gratum Deo esse et fuisse creditur holocaustum. Taceo quod haec effusio non apud divites tantum, sed apud inopes fiebat Ecclesiae, quibus postea id luere multis jejuniis et algoribus oporteret. Cumque pauperes episcopos, vel abbates profusioribus quam domi didicerat, vexaret expensis, in ipsa ecclesiarum ornamenta satis impudenti sacrilegio grassabatur, ut plane sponsam Domini spoliare, suisque privare monilibus ausu temerario videretur.

A Profusa vero convivia tanta libidinum spurcicia sequebatur, ut ab ipso passim quicquid occurreret, adiretur. Sororem Tropeam (sed nec dici fas est!) bestiali polluisse narratur incestu; et ex ea abominabili prodigio eodem sustulisse filios, quos nepotes, nepotum pater, filiorum factus avunculus, sic naturae jura confudit, ut eodem sibi invicem fratres faceret et cognatos; jam nec Judaeus quidem, sed Judaeo etiam deterior. Nulla sexuum, nulla loci vel temporis, nulla professionum. Sed haec silere decentius, ne si haec ipsum indifferenter excepisse protulero, honestius potuisset silentio praeteriri. Sic actum domi, nec ab eisdem legationum tempore temperatum. Ut enim turpiora praeteream, circumducebatur puella, cui in fraudem videntium adolescentis speciem vestis et tonsura conferret, quae singulos aetate toleraret, singulos solaretur affectus. Eo gratior, et quasi quodam novitatis affectata miraculo, quod dum virum facie, reliquis mulierem partibus exhibet, uterque sexus ipsi in eodem corpore videbatur exponi. Testis est Montispesulani populus, et circumjecta provincia se vidisse. At ne satietatem praestaret identitas, quaerebantur et aliae, quarum ipse nocturnis fongeretur amplexibus, quibus ipse se papam futurum in ipsa turpi commistione jactaret. Multae in Gallis sunt et Aquitania civitates, quae id apud se dictum certa fide testantur. Gratulare, inquit, in tanti te viri devenisse complexus, quem papam futurum totus orbis exspectat. Nunquid apostolatus gradum, Petre, tibi talis conversatio promittebat? Nunquid dispensatores domus suae Christus Ecclesiae sponsus et defensor hoc verbo docuit, vel monstravit exemplo? *Estote, inquit, sancti, quoniam ego sanctus sum (Gal. iv)*. Qui igitur successurus est Christo, oportet eum sicut ille ambulavit, et ipsum ambulare. Si quis autem post ipsum iturus est, *abneget semetipsum, et tollat crucem suam, et sequatur ipsum (Matth. xvi)*. Crucem vero non tollit, nisi qui castigans corpus suum, et in servitum redigens (*I Cor. ix*), in comessionibus et ebrietatibus, in cubilibus et impudicitis (*Rom. xiii*), legem Dei, nequaquam dissolutus, excedit. Ipsum non sequitur, nisi qui divinis intentus operibus ascensiones in corde suo disponit, donec de virtute in virtutem videatur Deus. Tu vero, Petre, cum de vitiis casu continuo devolvaris in vitia, et signatum super te lumen divini vultus obtenebres, deformata jam divinitatis imagine, et ipsius similitudine flagitiis offuscata, quae temeritate Christi successor esse praesumis, cujus prius similitudinem non assumis? nulla enim conventio Christi ad Belial, nulla lucis ad tenebras communicatio.

CAPUT IV.

Hic est ille, Girarde, hic est ille tuus papa, quem recipis, quem universitati fidelium solum decens caput assignas, qui sponsus Ecclesiae, qui Christi vicarius, qui Petri successor, vitae forma fidelibus, gregem verbo praedicationis instruat, et istius scilicet

cel operationis exemplo. At vero quis sit iste quem reprobas, consequenter attende. Si genus ejus recensita nativitate disquiritur, fidelis natus ex fidelibus advertetur. Si parentum in ipsius educatione vel doctrina consilium, ut habitaret in domo Domini omnibus diebus vitæ suæ, et videret voluptatem Domini. Si personæ qualitas : ut prius habitudo corporea describatur, vir staturæ mediocris, quem nec abjectum brevitatis, nec immanem reddat immensæ quantitatis excessus. Apparet in oculis ejus et vultu robusta simplicitas, et quæ castitatem animi probet verecundia faciei. Quæ profecto facies tanta dignitate resplendet, ut et ipsi quamdam reverentiam ingerat intuenti. Ei quoque hanc inter cætera munificentia suæ dona specialem gratiam vis divina largita est, ut omnes se videntes mansueta sibi benignitate conciliet, et dilectionem solè nanciscatur aspectu. Ipsius etenim oculis divinum quiddam superna bonitas inspiravit, quod plenum gratiæ, quod reverentia dignum, quod honori congruum generaliter arbitretur. Vox blanda ; sed non in nimiam tamen resoluta molliem, ut et suavitati favor, et magnitudini non desit auctoritas. Continua vultus alacritas, risus in sermonis excursu sæpiissimus, tanta tamen habitus honestate, ut verborum vultusque possit augere, non minuere dignitatem. Quod quidem eo magis allicit intuentes, quoniam id in ipso quoddam illius æternæ Jucunditatis videtur initium, cujus eum in ipso corpore quasdam existimo primitias accepisse.

At si vitæ consideretur Integritas, et a primis annis sub examen omnia redigantur, nihil deformatum crimine, nihil infamia condemnatum. In eo enim nil inliberale pueritia, nil adolescentia fluxum, nil juvenus infame, nil virilis ætas edidit indecorum. Inconcussa fides operationi bonæ fundamenta præstruxit. Consilio providus, benignus alloquio, facundia celebris, quam nec verborum fastus elatam, nec multitudo faciat effluentem. Tantumque apud omnes bonæ existimationis servabatur et gratiæ, ut quod alias perrarum est, esset et ante electionis ejus tempora nullus hostis. Cibis, potusque tanta sobrietas, ut illis non fastidium, sed abstinentiæ modus terminator assistat. Vestitus autem apostolatus tempori sane conveniens ; quem nec professio clericalis excluderet, cardinalatus dignitas non horreret. Quibus enim in præsentiarum vestibus induatur, jam non ex ipsius pendet arbitrio, sed Sanctorum Patrum antiqua constitutione decretum est. Prædicta vero cardinalatus dignitas, ab ipso non impetrata quidem, sed ob vitæ mundioris et scientiæ plenioris meritum, ultro data. Cujus muneris sic gessit officia, ut suis ipsium laudibus ampliaret. Fiebat honos titulis suis possessoris illustrior, nec tantum propria, quantum administrationis suæ gloria præfulgebat. Adeoque cæteros egregiæ prærogativa bonitatis excesserat, ut nec restare locus invidiæ videretur, eoque plane quisque suos ad æqualitatem ipsius aspirare non posse conatus

A adverteret : neque quidquam cujuslibet laudibus ipsius prælatio derogaret.

Postremo si non ille humani generis perfidus adversator in Petro Leonis Ecclesiæ Dei præstruxisset insidias, nulla jam post papam Honorium de successione quæstio superesset, cum vir unicus unica dignitati divina jam videretur providentia præformatus. Ipsum enim hoc divinitatis consilio talem constat esse plasmatum, ut dum adversus Ecclesiam vis hujus persecutionis insurgeret, esset qui se tempestati sui securus opponeret, et inter fluctus periclitanti naviculæ subveniret. Cumque ipsum ad hoc onus omnium pene conscientia destinaret, ipse sibi jam adeptæ dignitatis locum nequaquam videbatur explere. De se enim citra suam credere facultatem B judicium sapientis est. Quod ipse de se satis evidenter edocuit, dum ipsum eligentium corona clauderet, et ad apostolatus fastigia vocaretur ; instabant precibus, et reclamantem lacrymis obsecrantes, injecto pluviali renitentem manibus etiam comprimebant. Cumque ipse injectam sibi vestem secundo (ut aiunt) totis viribus obistendo rupisset ; illique nihilominus instandum crederent, si quid sanctis electionibus creditur, timuerunt, ne inter manus eorum tanta reluctatione et compressione fatigatus obiret, et suffocatam singultibus animam protinus exspiraret. Manibus igitur, donec modicum respiraret, inhibitis, dum tertium ex longinquo pluviale requiritur, inter porantes adhuc lacrymas, et erumpentes usquequaque singultus, sic affatur astantes : Expediret instans C negotium exclusa animorum affectione tractari, ne charitatem zelus alteruter impediret, et generale commodum odio familiari, vel gratia in oppositum verteretur. Sæpius enim præoccupatas mentes fallit affectio, ut et dignos odia reprohent, et indigni suggerente gratia præferantur. Quam quidem gratiam in hoc vires sibi video vindicasse præcipuas, ubi sola obtinere debuerat expensa pari lance ratio meritorum. Nam ubi me pari voto contentitis tantæ præficere dignitati, profecto non obtinet examinatio meritorum, palamque prævalet indulgentior gratia, quæ me vobis nunc et hactenus in imperfectis operibus acceptabilem præstat. Per quam etiam olim hinc sancto me voluistis inesse consortio, quem de D ductum inferius longe morum qualitas amovisset. Quem tamen locum etsi vir nullius virtutis tenuisque scientiæ impleret, vestra infirmitatem meam sapientia supportabat, quos ejusdem sollicitudinis idem Dominus in eadem paritate fecit esse ministros. Verum, oportet nunc ex meritis, non ex gratia judicare, nec gratiosum tantum, sed et dignum constituere sacerdotem. Hic enim nullum capietur ex paritate solatium, ubi consortem muneris prærogativa singularis excludit. Excludatur ergo benevolentia, et persona comparetur officio ad quod vocatur ; vita probabilem, scientia præditum, celebratum fama tantus honor exposcit ; ut ipsi divinum favorem probabilis vita conciliet, gerendorum facultatem scientia conferat, et nominis celebritate clara comparetur auctoritas.

Quales ex hoc ipso numero promptum est inveniri. Quis ego sum, sub cuius arbitrio rerum summa vereretur? Quia, inquam, ego sum, quem papam Roma salutet; qui non inter primos duntaxat, sed etiam priorum primus assigner? Indignum qui præficit, afficit injuria dignitatem.

Talia dicentem, et adhuc dicturum plurima si liceret, hoc sermone costus assistentium desperatus excepit. Excusationum dispendia periculum imminens, et articulus necessitatis excludit. Si at enim in insidiis leo paratus ad prædam, occasionem, sicut et ipse nosti, præstolatus a puero, cuius si non præventiam assultus, si non impetus obtundatur; nulla jam libertatis spes, nulla prorsus honestatis disciplina relinquitur; antiqua Ecclesiæ Romanæ dignitas occidit, ipsius gloria commutatur opprobrio, et formidata extremis hominum potestas vertitur in contemptum. Si enim est ille, sicut equidem est, vita contemptibilis, et pollutus infamia, restat ut contemptum potestas ipsa contrahat ex persona. Quis enim bonus subesse non recuset infami? Quis ad honestatem coarctari inhonestioris arbitrio non refutet? Si autem honor iste rite deferendus est digniori, profecto apud omnes infuitorum criminum Petri prælatio nos condemnat. Arguemur nimirum de nobis turpiora confessi, quam de ipso fama vulgaverit, si nobis ipse quasi dignior antefertur. Æstimabitur etiam non displicere nobis, quod nec in altero nos damnamus, sed et sustinentes, crimen consensus incurrere, et rei veritate, et existimatione publica convincemur. Fuit, fuit hactenus hæc Romana Ecclesia caput orbis, penes quam constantissima fides, suprema potestas, honestas incomparabilis, inconcussa severitas, gerendorum summa discretio, et nota toti mundo pietas viguisset; fuit, inquam, fuit hæc olim terror improbis, bonis in tranquillitate præsidium, in necessitate refugium singulare; a cuius integritate minores Ecclesiæ vires sumerent, et velut ab illæso capite membra saucia suæ sortirentur initia sanitatis. Nunc autem instat et a fide discessio, et antiquæ desolatio potestatis, et omnium bonorum; ejus casus manifestus apparet, dum homo peccati, perditionis filius revelatur, ut *adversetur, et extollat se supra omne quod dicitur Deus, aut quod colitur, ut in templo Dei sedeat ostendens se quasi ipse sit Deus* (II Thess. II). Apostolo itaque rite manifeste dicente cognoscimus, quoniam vel ipse Antichristus est, vel in ipso nobis antichristi tempora præparantur, cuius idem præambulus et minister emergit. Ecce enim jam jam intrusionis suæ comparat adiutores, et conspirata in Ecclesia Dei factio convocatur, quam illi genus, potentia, largitio, promissiones, et scelerata dudum conjuratio fœderavit. Destituta pastore lupus oves aggreditur, et vacuum sedem primus properat usurpare, quod subrogato pastore præsumere forsitan non auderet. Non enim nisi cum abest Moyses, vitulus conflatur a populo. Ad quod tamen si ipsam postea temeritas ambitiosa compelleret, saltem quem sequeretur si-

A delis populus inveniret. Super quo supremum sibi in te constituit Ecclesia sancta consilium; ut tu regatur providentia, tuo adnidente studio liberetur. Aluit hæc te, et cum in aliquo tui non egeret, excepit, ut in summa tranquillitate suis educaret uberibus, et proprio foveret amplexu. Nunc mutuum postulat, et suorum repetit præmia meritorum, ut scilicet in necessitate subvenias, et oppressæ præstare subsidia non recuses. Nunquid matrem clamantem non audies? Nunquid non solaberis desolatam? Nunquid non exaudies exorantem? Nunquid postulatam manum labenti coram te non porrigens sustinebis?

At vero prætendis ex indignitate tua subterfugii causam, quasi nos prudentiam tuam, et singularium, partium vitæ tuæ merita nesciremus. Profecto si te dignum crederes, hac ipsa æstimatione videreris indignus. Dicis quoque nullum sperari hic ex paritate solatium, quasi ab inferioribus consilia, et obsequentiibus auxilia nequeant exhiberi. Nunquid illud præcipue nobis onus incumbit, cum velut in humano corpore, is qui præsidet capitis formam, membrorum reliqui similitudinem gerant, ut qui præest nuntum adhibeat, difficultates expediat obsequentium labor? Revereris etiam pudore laudabili subire tantæ fastigia dignitatis, in quam suprema regni et sacerdotii prærogativa mirabili fœdere copulata conveniunt. At nos, non ad honorem te, sed ad periculum potius invitamus. Nec enim sumus ignari, quid adversum nos ille adversarius machinetur. Jam stringit gladios, jam sagittas acuit; nec viam sibi ad apostolatam patere, nisi nostri sanguinis effusione confidit. Quantumcunque tamen discrimen nobis mortis immineat, maluimus sanguinis nostri mercedem de manu divina requirere, quam de manu nostra sanguis Ecclesiæ requiratur; quamvis te mortis socium quærimus, imo volumus etiam præcursorem. Exponatur jugulus tuus sicut noster ad victimam, neque enim fas est, ei qui dedit negare spiritum, cum respicit. Si quid igitur te matris desolatæ calamitas, si quid inundans assistentium fletus; si quis ullus honestatis amor, si quid virtus obedientiæ movet, acquiesce. Si acquiescis, exhibemus obsequia; si recusas, exigimus de inobedientia pœnam. Eadem enim quæ Papæ superstitis est, ipso decedente penes nos præcipiendi et ulciscendi quoque consistit auctoritas, donec alius inducatur.

His dictis, parabant excommunicationis promulgare sententiam, allatum interim ex longinquo pluviale præ manibus offerentes. Quid faceret? tentares ex fuga subsidium? At illud continua seniorum corona claudebat. Postularet inducias? sed quominus impetrarentur, dilationem rei instantia Petri machinamenta negabant. Negaret semper? At illi gladio spiritus imminebant, anathematis pœnam protinus intentantes. Dum ergo sibi videtur inter geminæ mortis conclusus angustias, alterique eorum lege necessitatis obnoxius, discrimen periculi corporalis excepit; quia dum respuit anathematis experiri scu-

tentiam, insidiis, imo potentiae sese Petri-Leonis A
 objectit. In eo autem quo ordine sequenti die Petri
 processisset intrusio, non diutius immorabor, quam
 ut dixerim virum turpem, foedatum infamia, publica
 existimatione damnatum: posterius a..... et pa-
 rentibus esse promotum. Ad te potissimum, Girarde,
 revertar, ut quid egeris orta tempestate cognoscas,
 et aures tuæ eorum quæ male gessisti contundantur
 auditu.

CAPUT V.

Nuntiato in Galliis schismate, dum pro partibus
 vario favore multi multa loquuntur, fidelisque po-
 pulus ancipiti raptatur errore, primus regum Catho-
 licus princeps rex Francorum Ludovicus occur-
 rit. Is vocatis episcopis, et omnibus qui probatæ re-
 ligionis in Galliis habebantur, convocato etiam B
 clero regni quæ majoribus, concilium statuit gene-
 rale. Cumque se Petro-Leonis ob sua et patris obse-
 quia lateretur obnoxium, nihil tamen super hoc cel-
 situdini regis voluit arrogare. Episcopis et patribus
 qui ex monastica religione convenerant, omni tra-
 dita potestate, ut eis, et in eos omnis diffinitio
 conferretur; eo quod penes sanctos episcopos Ec-
 clesie dispensatio tota consistit: et abbates, quos
 divinitatis contemplatio recreat, divina latere con-
 silia non creditur. Cui concilio quoque iam interesse,
 Girarde, non poterat, cum litteris, tuæ deformitatis
 imagine consignatis nuntium destinasti. Utramque
 te novisse personam, et electionis ordinem plenius
 exquisisse, procul dubio cum Innocentio papa stare C
 iustitiam, eo quod plane vir eset honestatis egregiæ;
 e. ipsius electio prima tempore, et a præcipuis Roma-
 næ Ecclesie fuerat celebrata personis. Porro Pe-
 trum per opulentam manum Cathedram posterius
 usurpasse, virum adeo vita reprobatum et nomine,
 ut si ipsum etiam quælibet electionis forma defen-
 deret, promoveri tamen vitæ qualitas, et infamia
 minime sustineret. Id tibi, et tuæ legationi subjectis
 ratum fore; idque cum Lugdunensem, tum Vien-
 nensem Ecclesiam, tum totam fere Italiam ab ipsis
 urbis mœnibus excepisse. Aderant autem ibidem
 venerabiles quæ Romæ fuerant sub eadem tempe-
 state personæ, quæ rerum seriem plane cognoverant,
 præsertim quæ oculata fide singula percépissent.
 Habebantur quoque super hoc ipso et aliarum quæ D
 non aderant ultro delegata testimonia: simul et per-
 suasiones personarum, quas spiritum Dei habere
 certa fides esset, cum tot hominum sensus in
 eandem forte confluerent voluntatem. Sicut enim
 unum honorum fides est, sic et spiritus unus: malo-
 rum vero spiritus multiplex, et voluntas ambigua.

Tandem ergo favore divinitatis multis lacrymis
 implorato, dum utriusque personæ merita et pro-
 sequentia partes studia confruntur, inventus est
 Petrus indignior adeo, ut ex ipsius comparatione
 alteri personæ irrogari gravis injuria videretur.
 Studia vero partium tanta dividebat imparitas, ut
 Petro nondum extra urbis mœnia quisquam favor,
 alterum infra urbem quidem pars potior elegisset

et extra urbem usque ad fines terræ tota jam fere
 Patrem confiteretur Ecclesia. Sumpta igitur ex
 Magni Leonis papæ decreto sententia, ubi se par-
 tium vota diviserant, visus est illis jure canonico
 præferendus is, qui majoribus studiis juvabatur
 et meritis. Qua nimirum ratione cum in papam
 Innocentium inspirante Domino convenissent, ipsi
 statim de obedientia tua, et debita subjectione scri-
 psisti: postulasti tamen ipsius honorari rescripto,
 et munus legationis habitæ confirmari. Visum est
 Simoniacum, favorem tuum redimere legationis
 officio: et cum ipse partes illas visitare sub eodem
 tempore decrevisset, nullus locus poterat sub ipsis
 præsentia restare legato. Neque enim legatus præ-
 sentis personæ, sed absentis explet obsequium.
 Jamque tantus ad Romanas aures malæ admini-
 strationis tuæ clamor ascenderat, ut eset de eo
 quod olim impetraveras poenitentia major, quam
 ut modo restituereris affectus. Tulisti repulsam gra-
 viter, et mutilata potentia tuæ cornua doluisti.
 Atque inferioribus antea modo factus inferior, et
 velut in senectute reptatus inutilis, consueti bene-
 ficii finem, rapinæ ratus injuriam, temerariæ suc-
 census es ultionis affectu. Quoniam dum repulsa
 ministrat iracundiæ causas: et innata dedignatio-
 nem parit elatio; addidit ambitio cœcitatem, quæ
 quidem res cum otia nesciant, et a suis effectibus
 vacare non possint, contemptum jam susceptæ par-
 tis dedignatio fecit, indiscretionem cœcitas operata
 est, temerarios ausus iracundia præformavit. Spreto
 igitur eo quod recte susceperas, et indiscrete con-
 versus ad aliud, temerarie prioribus contraria
 concepisti; factumque est quod in rebus sæpe con-
 tingit humanis, ut circa rem propensius affectatam,
 spem præcipitem desideria concepta firnarent.
 Misisti legatum Romam, qui eidem quem jam devo-
 veras Petro favorem tuum venalem, pro munere
 legationis offerret, et similem sibi ministrum do-
 mino quæ federaret. Expletum est sine difficultate
 commercium; et dum te cœcitas indiscreta con-
 ducit, ministrum te schismatis addixisti, ut inutili
 privilegio donareris. Formata est tibi, sed inanis
 nova legatio, et quidquid ab Alpibus usque ad fines
 Occidentis interjacet, tuæ ditioni sed inefficaci
 donatione subjectum est. Et ne excedenti ambitioni
 tuæ fortassis angustior prædictorum finium præ-
 scriptio videretur, adjectum est, ut ubicunque
 calcaret pes tuus, ibi esset legatio tua. Invenisti,
 Girarde, hominem de alieno munificum, sed si rei
 fructum diligenter attendas, dum tibi rescribuntur
 maxima, minima recepisti. Nihil enim tibi Petrus
 impendit, nisi quod nec ab ipso, nec ipsius potest
 nomine possideri. Implevit tamen aures tuas spa-
 tiositas circumscripita terrarum, et cupiditatem
 tuam rei qualitas æstimata solo statim gaudio sa-
 tiavit. Sed ambitionem tuam dignissimus excepit
 eventus, dum munus inutile prima statim rerum
 experientia deprehendisti. Emissis igitur ex omni
 parte cursoribus, cœpisti principes sollicitare fini-

timos, eos scilicet qui rei nondum cognita veritate, neutrius adhuc partis nomine nitebantur.

CAPUT VI.

De circumveniendi autem rege Anglorum Henrico præcipue laborabas; et quia cauteriatam conscientiam habens, principi catholico et sapienti de suscipiendo Petro-Leonis manifeste suggerere non audebas, ut neutrum susciperet mirabili solertia suggerebas, ita tamen ut in Petrum tua aliquanto proclivior oratio videretur. Rem stare sub dubio, multos utriusque partis esse fautores, festinasse quosdam qui jam multa pœnitentia ducerentur: Petri-Leonis in civitate inexpugnabilem esse potentiam, præsertim qui munitionibus maximis, qui pecunia plurima, qui denique parentum multitudine maxima fulciretur. Asseverare multos ipsum non justitia, sed potius invidia reprobatum, eo quod perspicax ejus ingenium, et amplitudinem animi, et irrefragabilem potentiam reliqui vererentur: neminem tamen esse, qui posset eum urbis privare dominio, penes quam caput Ecclesiæ semper fuisse, sed et denique reversurum fore nullus ambigeret. Ipsum, et eos qui cum ipso erant, sufficientes ex proprio, et omnes ad apostolatam pertinentes civiles redditus obtinere: non oportere ipsum ad alienas inspicere facultates, nec ad invertendum quidlibet rei familiaris inopia compellendum. Si susciperet alterum, onerosum sibi, et suo regno fore, et quod regi est etiam damno deterius, dedecus adfuturum, si pars altera prævaleret. Nihil esse importabilius indigente Romano, sub cujus sis arbitrio constitutus. Dissimulare igitur, et rerum exitus potius expectaret, quam sera præcipientem sententiam pœnitentia subsequatur. Utilius enim esse sine dispendio declinare pericula, quam cum gravi dispendio ipsis ultro periculis obviare.

Agnovit rex sapiens latentem in sermone serpentis astutiam, et venenum sub melle reconditum, quia scilicet ista non bona fide consulenti animo mandaveras, sed fallentis, ut domino papa prius quavis arte fraudulenter excluso, ad loquendum pro Petro tibi commodior a litus appareret. Facilius enim ad favendum parti nostræ vacuos vindicamus affectus, quam favore jam partis alterius occupatos. Ille vero non dissimulandum, sed laborantis Ecclesiæ necessitatibus adjutor ultroneus creditur occurrendum, ne persuasione tua probaretur accephalus; et ab uberibus matris suæ fieret alienus. Rex maximus, cujus ad justitiam omnes fere principes invitantur exemplo, cujus in pauperes munificentiam, liberalitatem in omnes, cuncti reges mirari possunt potius, quam velint aut valeant imitari. Cujus sapientiam regnum ipsius et ducatus etsi late spatiosa non continent, sed ad circumjectas refunditur undique potestates.

Cum autem, Girarde, regibus Hispanorum, Britannorumque principibus eadem suggerendo mandasses, et speratos fructus concinnata tibi mendacia non referrent, cœpisti dementiore vesania infra

A domesticos parietes debacchari. [Pictaviensem comitem nactus erroris socium, et schismatis adiutorem; quem etiam Pictaviensis episcopi catholici senis negata depositio, et contra sacratissimos canones non exaudita petitio, indignatum pariter a catholica repulit unitate.

Hæc sunt, Girarde, quæ pro Ecclesia et adversus Ecclesiam sub initio tempestatu egisti, quæ licet rudi forsitan et inculto sermone narraverim, solam saltem sequi potui veritatem. Nihil enim scripsi, quod non vel ipse cognoverim, vel auctore probabili non haberem, vel quod saltem fama publica non affirmet, ut proinde non minus aliis probabile videatur, cum ipsi tot testimonia suffragentur ad fidem. Jam vero si recte propositæ partitionis membra recolligo, sola mihi propositi mei superest pars extrema, in qua quibus Ecclesiam Dei molestiis vexare quidem et persequi non desistis, ex parte dicendum est. Si quis enim vellet cuncta narrare, nec ad dicendum lingua sufficeret, nec calamus ad scribendum.

CAPUT VII.

Suscepta igitur Petri-Leonis epistola, cœpisti per fines Aquitanie discurrendo pristinae prædicationi tuæ prædicare contraria, Petrum scilicet Leonis Anacleti nomine, sed verius Antichristi, papam esse; cujus quidem apostolatam (sedes principalis exciperet, et totius civitatis obedientia confirmaret. Alterum civitate pulsam cum paucis fautoribus sine certa sede vagantem avertentem populos, et ab Ecclesia separantem; quem nec Cathedra Lateranensis agnosceret; nec ei obsequium Romana civitas exhiberet. Quem papam credere similis amentia videbatur, ut si quis carentem regno regem dicere, destitutum principatu principem appellare voluerit. Quasi modo, Girarde, justitiæ loca præjudicent, et jus dignitatis perimat illius civitatis egressus, et velut solius populi Romani favor omnibus fere populis debeat anteferri. Nunquid enim ipse Laterani residens, in illa beati Joannis ecclesia principali Christianissimum principem Lotharium consecravit in regem? Nunquid ipsum et imperii nomine, et imperiali diademate renitentem solemnitate debita decoravit? Nunquid ipsum pars magna nobilium, et totius populi conscientia comitatur? Nunquid eidem urbis habitatio, et ingressus pro arbitrio patens est et egressus? Quibus profecto si careret omnino, nullo tamen eorum posset justitiæ derogari. Sed dum te latens odium stimulat ad vindictam, linguam mendacio non negabas, ut verba veneno mendacii toxicata, infidelitatis vulnere simplicium pectora sauciarent. Circa quod dum unicum tibi propositum, unicus urgendi labor, unica laboris perseverantia constat, torrentes impetus tuos prævertit modicum vis divina; primumque de inefficaciæ speratæ potestatis argumentum accessit, in ligationem versa legatio. Captus es, et mensibus aliquot reclusus in carcere donec quos gratia prædestinaverat, plena veritatis

agnitio confirmasset, et qui prius de rescripta tibi A legatione speraverant, de ligatione postea desperarent. Reserato autem carcere processisti quasi pardus e cavea, cujus rabie carcere diutius et catenis inhibita, si forte liber evaserit, insurgit audacior, nec eum ulla potest sanguinis effusio satiare. Æstimabas adhuc auctoritate tua totum posse præverti, quod Ecclesia sancta dictaverat, et penes te rerum pondera et momenta constare. In quo nescio tuamne magis cæcitatē vel arrogantiam mirer. Quia quæ arrogantia major, quam hominem pene solum adversus illud insurgere, quod divina providentia confirmavit, quod omnis religio confirmavit, quod omnium regnorum favor confirmavit, quod et ipse quantum sua interest, confirmavit? Quæ major cæcitas, quam ubi nullum Dei præcedit, exile hominis succedit auxilium, contra universitatem sperare victoriam? Non potes negare, quin falsi crimen et inconstantiam simul incurreris, levissime transfuga, modo harum, modo illarum partium malefidus assertor, cujus in singulis operibus duplices vias, duplex signat intuitus, et affectus mentis ancipites, ambiguus manifestat aspectus. Sicut enim corporales oculos tuos inaturalis quædam distorsit enormitas, ut ad idem contuendum mirabili nequeant discordia convenire, sic et mentis oculi dissident, ratio scilicet et affectus.

Pictaviensis ac Lemovicensis Ecclesiæ, comitis viribus abutendo, catholicos ejecisti pontifices, C alios extraordinarie superponens; quorum alterum minus vita probabilem et nullarum hominum litterarum, et in vulgari etiam sermone fere prorsus clinguem, Romana Ecclesia ab ejusdem Pictaviensis Ecclesiæ regimine reprobatur, olim canonica decisione removerat. Ille tamen nunc auctoritate sua jura patris superstitis usurpare non renuit, quamvis ipsi obligatus filius obedientiæ vinculo teneretur, et licet sese totum manibus ejus, fide etiam corporaliter præstita dedicasset. Alter vero nec sæculari præditus, nec scientia litterarum, famosus apud omnes adulter, singulis fere nocibus a dæmonio rapitur, primumque de strato. provolutus in terram, horrendum clamans per totam diem, dominum dormiens etiam dicitur evagari: neve sit circa eorum qualitatem diutius immorandum, primis ordinibus, nedum sacerdotio, nedum etiam episcopali officio convincuntur indigni. Sed neque tu, nisi tibi consimiles, poteris æstimare condignos, nec dissimilia tibi capitique tuo Petro membra formare. Semper enim proprium quælibet opera contentur artificem, et in eis voluntatis eorum volentiam velut imago quædam reperitur expressa. Quid autem celeberrima monasteria sanctis abbatibus expulsis desolata commemorem; et subrogatos ad ejusdem sollicitudinis onera pretio vel gratia juniores? Quibus administrantibus tanto jam cœpere monasteria laborare defectu, ut in iis quæ singulari nuper religione pollebant, nulla jam fere virtutis

aut regulæ vestigia restent. Illis enim quorum catenus ardentis monasticus ordo frenabat affectus, traditæ dispensationis occasio licentiam comparat effluendi. Nihilque ad periculum religionis efficacius est, quam irreligiosum sustinere pastorem.

Illic autem te, Girarde, convenio, et veteri de apostolatu paulisper seposita questione, quasi tibi Petri munere jus legationis accedere potuisset: in his operibus ordinem requiro canonicum. Spoliatos rebus, sedibus suis violenter expulsos, incontinentos, incommonitos, absentes quoque, nullo tecum episcopo residente, damnasti. Sed ut hæc etiam ponamus ordine processisse canonico, in aliorum superpositionibus regularem disciplinam, formamque rationis exposco. In illorum enim qualibuscunque pronotionibus nec justitiam, nec umbram justitiæ dignosceris attendisse.

Blanditur elatis auribus tuis fortasse tantæ rememoratio potestatis, qui hæc pro tua potuisti prævertere voluntate. In quo ne nimiam capias voluptatem, quantum tibi partique tuæ profueris consequenter attende. Tertia pars Pictaviensis episcopatus quem posuisti non agnoscit episcopum, eique totus fere nobilium numerus respuit obedire, adeoque omni conscientia reprobatus abjicitur, ut et frater ejus naturalis excommunicatum ex hoc ipso judicet, nec ulla ei communione jungatur. Catholicus vero usque ad portas civitatis plena potestate dominatur episcopus, et eum majores personæ pontificalis Ecclesiæ comitantur, ad formam beati Petri relictis omnibus exulante prosecuti. Alii formice civitatis inhabitant, qui super ollas carnum recumbentes, gentis et loci potius quam animæ perditione terrentur. At Lemovicensis ab urbe sua stadio uno vix interjacente remotus, castrum Sancti Martialis pro foribus urbis inhabitat; unde is qui sedem sibi cathedræ pontificalis usurpat, singulis diebus audire possit campanas in sua excommunicatione sonantes. Te quoque pastorem suum Engolismensis patria minime profitetur ubique, sed et ibi multi catholicæ partis nomine gloriantur.

Distuli circa extremitates orationis hujus de usurpatione Burdegalensis archiepiscopatus apponere, ut ex hoc illa effrenis ambitio tua irrefragabili liqueat argumento. Engolismensi Ecclesiæ copulatus spirituali connubio tenebaris, impudens tamen dominandi libido contemplatione prænominate dignitatis incanduit; et dum descendendum jam rerum tuarum detrimenta non sustines, ad compensationem frustratæ legationis in amplexum quasi ditioris adulteræ prorupisti; filix sponsus, incestu matrem nefario polluere non abhorres, et monstrum biceps, infaustum sæculo prodigium non renuis apparere. Non expetitio populi, non cleri præcescit electio; sed etiam nunc excommunicatum reputans universitas tibi, vel pars saltem maxima, refragatur, in partem catholicam multo desiderio suspirantes.

CAPUT VIII.

Age ergo, ut quasi ab initio summa omnium brevi complexione claudatur, quia ab eo quod exceperas recessisti, temeritatis vel inconstantiae te condemnat. Aut enim huic parti temerarius consensus adjunctus est, aut certe nimis inconstanter ademptus. Quod autem favorem tuum ab hac parte prima tulit negatio, nullum cæcæ ambitionis est firmiter argumentum. At vero id ipsum palliari fortassis aliquo conquisitæ falsitatis velamine potuisset, sed facta in alteram partem non nisi eadem legatione impenetrata favoris translatio omnem tibi copiam defensionis ademit. Ad summam, jam te non illicite solum, sed et impudenter operari convincit, archiepiscopi et episcopi in eandem personam facta confusio.

His itaque de te toti mundo patentibus, qua saltem imagine justitiæ tibi nomen usurpas, dum publice suadere putas, te, etsi non ex scientia, zelo tamen taliter operari? Nunquid hæc opera, te non imprudenter ex simplicitate delinquere, sed impudenter ex arrogantia contemnere manifestant? *Impius enim cum venerit in profundum, contemnit (Prov. xviii)*. Saltem deficientia naturæ lege membra considera, quia tempus est sinem dare nequitiae, et inutiles mundo reliquias expectanti Deo gratum munus offerre. Declinas ad infima vultus attoile, et enormes oculi tui ad partem dirigantur oppositam, ut videas quam bonum et jucundum est in unum habitare. Sed quoniam nocturnus bubo, lucem diurnam non sustines intueri, cæcus aures arrige, nisi et eandem insurdaverit obstinatio cordis. Audi ergo cum quibus habites, et quorum consortia respuas. Infidelis universitas illa quam sequeris, familia Petri-Leonis est, nondum fermento Judaicæ corruptionis penitus expiata. Et Tyrannus ille, quem alrix tyrannorum Sicilia sustinet, Dionysii successor, aulae ipsius hæres, et ominis, emptus inani regis nomine; dux quidem antea, nunc vero nec dux ipse nec aliud, quia nomen alienum, quod contra justitiam Tyrannus usurpat, in ipso nullatenus obtinere certo jure firmatur; huic numero solus Pictaviensis comes adjicitur, voluptatum vir, animalis homo, arcana spiritualium non attingens, ob repressam petitionis illicitæ mancipatus errori. Sub qua paucitate si quis sanctam dixerit Ecclesiam contineri, certe non derogata solum Christi videtur hæreditas, sed penitus abrogata. Ubi ergo David sancte, ubi tua vetus illa promissio? Ubi Pauli? ubi sanctarum testimonia Scripturarum? Ille enim rex sanctus ex persona Patris ad Filium: *Postula, inquit, a me, et dabo tibi gentes hæreditatem tuam, et possessionem tuam terminos terræ (Psal. 11)*. Et alibi: *Dominabitur a mari usque ad mare, et a flumine usque ad terminos orbis ter-*

rarum (Psal. lxxi). Et Paulus: *Deus, inquit, exaltavit eum, et dedit illi nomen quod est super omne nomen, ut in nomine Jesu omne genu flectatur (Philipp. 11)*. Dices fortassis, jam impleta quæ dicunt, nec obstare hæc quominus potestatis hujus imminet defectus. Sed regni ejus non erit finis: regit enim in virga ferrea. Partem vero nostram, si tamen hæc tantilla cogat exceptio, ut nomine partis universitas fere tota vocetur, omnis Imperator, omnis rex, omnis princeps, omnis homo denique profiteatur, quicumque Christiani nominis insignitur honore. Sed ego, si qua fides est, favorem principum populique, quos adhuc sæcularis tenet affectio compeditos, in tam divino negotio negligenter attendo. Horum in hoc mihi consensus præcipuus est; horum me movet, motum trahit, tractum tenet auctoritas, quibus datum est nosse mysterium regni Dei, quorum in cælis esse jam ex parte conversatio perhibetur (*Philipp. 111*). Quales revera sunt qui Carthusiæ perpetuas nives inhabitant, et qui a Cisterciensi, vel Cluniacensi monasterio profucentes lucis suæ radios undique diffuderunt. Hi enim a manibus suis et animo, saniore consilio terrea removens, aspera veste, cibo cum raro, tum arido, vigiliis, multisque laboribus corpus macerant, ad eam tantum retributionem totis animi viribus anhelantes, quam diligentibus se gratiam repromisit. Horum sancta conversatio, sermo sapiens, in divinis discretio perspicax, quam denique nulla nubes terrenæ densitatis offuscat. Patitur quidem eos Deus molestiis affici, ut tanquam aurum in fornace probentur, sed ultra eorum non excrescit tentatio facultatem. Licet igitur eos adhuc ex parte remoretur in terris, ut promissas augeant desideria protracta coronas, a divinis tamen consiliis non creduntur exclusi: *Angeli enim eorum semper vident faciem Patris (Matth. xviii)*; et eos familiari sancti Spiritus visitatione faciunt illustrari. Neque enim etiam in præsentia, sua deserit retributio sustinentes; juxta illud: *Secundum multitudinem dolorum meorum in corde meo consolationes tuæ lætificaverunt animam meam (Psal. xciii)*. Vado enim, inquit, et venio ad vos, et gaudebit cor vestrum (*Joan. xvi*). Quid igitur? fraudabitur operis sui fructu pars electa quam dico, et promissionem suam divinitas immutabit? Absit? *Juravit enim Dominus, et non penitebit eum (Psal. cix)*. Horum ergo mentes promissus Spiritus sanctus inhabitat, quas congrua sibi templa paravit, et eas necessario plena cognitione veritatis illustrat. Quoniam si Spiritus Deus est; Deus autem veritas, profecto sub præsentia Spiritus non restat ignorantia veritatis. Quid plura? Jam ne sermo noster metas debitæ brevitatis excedat, pauca de pluribus, minora de maximis dixisse sufficiat.